

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Ring, Karl Ludwig]: De Amicitia verba fecit, 20 Dez 1788

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De Amicitia
verba fecit

Carolus Ludovicus Ring.

d. XX Decbr. MDCCCLXXXVIII.

10 Jan 89

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint handwritten text visible on the right edge of the page, including words like:]
 O...
 ram...
 pi...
 glorian...
 grace...
 vortat...
 inio...
 gilian...
 O...
 quib...
 ne...
 klig...
 mag...
 Hag...
 p...
 as...
 de...
 Jun...

Director excellentissime!
Socii honoratissimi!

Si magni alicuius oratoris haberem eloquium, antiquo-
rum temporum Vobis claros heroes vel Marathonius in cam-
pis vel alius sub Troia propugnaculis ferro sibi immortalitatis
gloriam acquiritentes sisterem atque describerem! At enim vero
grave hoc conamen a clarissimis antiquitatis atque hodiernis
scriptoribus iam occupatum atque consumatum est; ecquid
enim nostrum tam raris sit, qui divinum illum poetam Vir-
gilium vel magnorum virorum clarum traditorem ignoret
Cornelium Nepotem! Meo ergo potius ingenio viribusque
quibus parce quidem praeditus sum, magis accommodatum
mi fallor, & Vobis, honoratissimi Sodales, magis gratum
selegi dicendi argumentum. Etenim quid iuvenile pectus
magis extollit? quid molle ac flexibile iuvenis ingenium
flagrantior concupiscit animo? quid pleno eius vigore
pectori magis convenit, quam illud summi numinis con-
cessum mortalibus donum Amicitia! - illa familia-
ris vicissitudo cogitationum & sensationum in qua
summa socialitatis voluptas feta est! -

Vestra itaque pace Director gravissime, & charissimiq; Sodales
 de hoc humana natura tam conveniente tanque necessario nobis
 dono mihi dari contingat, sine quo tristis omnino humana vita
 fuerit conditio! fugens nobis ac desertus campus appareret tam
 pulchre tamq; ordinatq; procreatus terrarum orbis, innumeris que
 illis ex socialitate reduntantibus carere cogere mur volunta-
 tibus, si carendum nobis esset amicis & amica aliorum consue-
 tudine. Miseros homines qui aequales suos fugiunt, qui soli-
 taria vita se tradunt, ac infaustram sic terunt aequum sibi que sic
 aliusque inertes existunt inutilesq;! Hos sine dubio nunquam ami-
 citia dulcia tenuere vincula, his nunquam sane illa percipiunt
 gaudia datum fuit que inveterata nobis amicitia prabet.
 Regredi vobis oportet vel invitae in humanam societatem
 atque indefessos scrutari qua ei iusint delicia; invenietis
 sic facile, vestro qui ingenio aequalis & aptus amicum; &
 quamvis dispersa sint saepe in rerum uaticia qua sibi mutuo
 respondeant corda, non tamen desperandum est, & si primo
 impetu facto spes illa vana fuerit aut caduca; nec ideo
 humanam fugere nobis licet societatem; quod cogitata nostra
 haud prospere semper succedant, non siue magna enim sapi-
 cutia a divino creatore sic constitutum est, ut mortales

ues animi facultates excellentiores & quae felicitatis humanae reli-
qua requisita sunt, non nisi magna opera & multo labore acqui-
ramus, sicque nos invicem nobis commendemus.

Amico uti, qui usu ipse doctus sit, affabilique eo & indul-
genti, res non ubique obvia est, Consilietores; ille, coram quo absq[ue]
affectatione talis apparere possum, qualis re vera sum, cui quid
quid cogito atque sentio in sinum effundere possum, ille qui me
errantium cum lenitate reprehendat & ad primum nutum, quam
ope, consilio vel solatio indigeo, vel in negotiis vel fortuna ad-
versa vel quavis urgente necessitate amicus mihi porrigat ma-
nus, ille quo cum praeterita tempora vel fausta vel iniqua, co-
mittere & cito quasi pede praeterlapsa video, cuius inter amica
colloquia nobis dies evanescent & noctes, quem nulla unquam
arripit animi torpido, qui me consoletur ob abeuntem, vel
quod tristius adhuc est, ~~et~~ ob decedentem a nobis & e con-
spectu mortalium amicum, huius comodi homini si me
inagam, urbanitati haud contrarium credo, nec arrogan-
tia signum esse puto, quod vulgaris aliquis homo satisfa-
cere mihi nequaquam poterit, vel quod in alia quacunque
minus probata ob mores & humanitatem societate non
delector, libenterq[ue] illis careo voluptatum illecebris, quibus

formam flagranti inhiavissem animo, si procul a vulgo & tū
multa in conversatione amicorum, sua prudentia morumq;
suavitate conspicuorum aliquam particulam aeterna illius
non iam praesentitem & pura sublimiorum spirituum voluptas.

Ut enim vero quot & quantum iam de amicitia dictum
atque scriptum est a bene multis? ut me praecone non opus
sit. Id tamen & ipse intimius sentio, mortalium infelicis
sumum illum esse, qui non aliquos amicos habeat, qui
nec uno utatur eumq; possidere se gloriari queat! Audi
torium academicum nullum est facile, quod vulgari hoc
amicitia abivis obvia argumento non crebris uti audiverit?
Et tamen tenuis eorum est numerus, qui digna & vera huius
rei non velis rei gaudent dea. Scilicet facilius quae amicitiam
hanc constituent evinci, quam quae sint eius requisita comotui
test & plane clareque deduci, non ita cadit in sensus vera eius
natura & constitutio, ut quod sensibus hominum plerumq; esse
videtur, id et sit re vera. longe alia res est & non nisi interiori
sensui aperta. Similis mihi esse videtur amicitia sanctis illis
sanctorum, si Deus placet, reliquiis, quas superstitio hominum
ita multiplicavit, ut de plerisque vere dici possit, id non esse
quod a plebe creduntur, at quid tamen obstat ab ipsis sancta

Mariae vestimentis panniculi quiddam, quibusdam ⁱⁿ locis remansisse?
 Tales nimirum amicos existimo, quales Marcus Tullius noster
 Laetium suum ac Scipionem depingit, quibuscum non sollicita
 diuis solum sed cogitationis quoque & vota nostrae communicare
 possumus, qui parem in nos exercent fidem, quorumq; usus fami-
 liaris vel in ioco vel in negotiis vel ipsa in adversa fortuna tan-
 quam necessarium vita nostra nobis appareat administratum,
 tales amicos possidere maxima parte mortalium fuisse ac fore
 denegatum, ac multa eorum millia, in vita per cetera felices,
 perisse puto, nec talem oculis unquam eis contigisse cernere
 familiarem! Non tamen desunt utique in humana socie-
 tate, qui bene de nobis sentiant, & conversatione nostra
 libenter utantur amici, qui miseros nos vel consilio vel
 factis sustentent, quilibet sibi tales amicos bona vivendi ra-
 tione comparare poterit & pauci his quoque privati vitam
 sequuntur felicem.

Ut sit in eo omni sic in amicitia quoque mortalium
 alius alio est aptior atque ad alios pari familiaritate pro-
 sequendos praefertior. Suis quoque iure sit, ut illi homines, qui
 omnium benevolentiam amicitiamq; sibi acquirere gestunt,
 singulis familiaris esse impediatur, neque hos urget adeo
 illa amicorum inopia, quam continuus involuti sunt volupta.

tum & delectationum illecebris atque varietatibus; at fidus &
 probatus ex omni parte, amicus in conuuii sodalitis hanc cau-
 dem ob causam nimis erit desideratus, ac illi uolent esse, qui
 se suasque voluptates nobis obtrudunt, ipseque tali societate
 uix delectabitur; iam enim affuetus est societati uirorum
 animo & prudentia conspicuorum, & hinc vulgaris moduli uo-
 tales cum uel parum tentant, uel terrent. - Constantis & sta-
 bilis amicitia inter homines modo ad altam iam perfectionis gra-
 dum procectos re uera existere potest; hi enim soli abortati
 ingenii quiniq; tum dolibus tum sensationibus sapidam reddunt
 atque iucundam amicitiam ~~profunt~~ edocti sunt; hi soli illa
 pra alios gaudent animi firmitate ac robore, ut pari sem-
 per, quos semel tenuerunt, tucantur amore, hi soli uel detec-
 tio inter se inuicem, qua unquam ab humana natura aliena
 sunt, maculis, haud omnium illis obumbratam agnoscant
 effigiem, amoenaque illa coniunctio qua olim arte inter se
 inuicti fuerant non unquam rumpitur, nulla affectuum hic
 uis, turba nulla, inuicta permanet & subsistet his fun-
 damentis superstructa amicitia. Parem tamen & aequalem
^{grae}
~~amicitiam~~ familiaritatemque omni in loco ac tempore

prestare amico, quamvis veterano & optimo, quis mortalium poterit?
 Ignarus animi facultatumq; hominis & amicitia capere erit ille
 qui hoc tantum ab aliis sibi prestare volet, quam ipse parere
 reddere amoris constantiam non prosit? Non omnis hora his officiis
 apta, non omnis dies vita humana ad exercenda amicitia ut
 ut iucunda vota aequae convenit! Vanitatibus saeculi, arrogan-
 tia ordinum in quos divisi sumus frigidisque negotiis quibus
 impliciti esse solemus, relaxantur saepe amicorum pia corda.
 Et quamquam sine hac pietate & virtute nisi errans sine
 corpore umbra apparebit omnis amicitia, nec haec tamen
 sufficiunt vel inter familiaris sumos; prudentia accedat oportet
 & auctoritatibus probatis actio, omnis inter amicos di-
 rigi atque coerceri impetus debet, ne deflectamus in avia,
 absit porro avaritia & omne partium studium necesse est,
 nec publice societatis commodis nec privato contubernio contraria
 sit. oportet, quod nunquam eveniet si sapientia & virtute con-
 tinentur amicorum animi. Absurdum, ut hoc in transitu
 moncam & superbum masculorum nostrorum mihi esse vide-
 tur hoc praedictum, quo sibi tantum amicitia iura vin-
 dicant & dulcia inde redundantia involuimenta. . . Vixis
 profecto arroganter hi, leve quasi & imbecille hominum genus.

feminas depingunt; haud memores maximam virorum partem
 a feminis occulto quidem & tacito ac valido ac valente sceptro
 magna cum prudentia regi. Nec dubium sexui muliebri mul-
 to maiorem inesse animi flexibilitatem affectuumq; modera-
 tionem, quam impetuoso atque exastuanti facile marium
 generi. Luce itaque clarius est, illam ex amore quasi & amicitia
 contextam alteram & pulcherrimam partem humani gene-
 ris si non maiori, pari certe ad exercenda amicitia vota, gra-
 dere facultate. Leves omnino, imbecilles ac pari sic passim
 cum stupidis saepe ac inertibus aut luxuriosis maribus ambi-
 lantes invenies feminas; quamvis neglecta plerumq; educatio
 vel societas in qua adoleverunt, illarum degenerationis
 cause fuerint; cum hi contra maximo saepe cum solertia
 ac sollicitudine a parentibus educati de se facta spei
 tamen minime respondeant; addo quod experientia quam
 maxime probat, feminarum corruptionem non infrequenter
 ipsorum marium esse & fuisse opus et infaustum ab illis
 redundantem fructum. - Colamus itaque nostro amore
 amicitiaq; dignissimum certe sexum, quem orbis ipse crea-
 tor magna sua sapientia ac benignitate ductus, viris

nobis adiunctum voluit, ut illa corporis egregia ac græcilis forma
delectamento sit nobis & mollis illa amica atque moderata animi
constitutio in omnibus vel secundis vel adversis casibus nostros
affectus & impetum nostrum temperet, solatioque suo fractos
erigat! Ignoscitis, scio, auditores extra oleas me vagari
dum videtis & inesse aliquid voluptatis in laudandis mu-
lieribus, & facultatibus earum facile conceditis, dum
iuvenes nos imprimis singulari quadam vi huc nos trahi
sentiamus. Ut plura & maiora his addere liceret,
quibus his, qui omne ingenium, omnem vitæ prudentiam
feminiis derogare non erubescunt, raborum suffundere possumus.
iuveni vero mihi dabitur venia si non nisi paucis & non satis
firmis nec satis digne prolatis argumentis & verbis id fecero
quod scientia & dignitate graves viri, quorum erat apologiam
secus scribere, evicerunt dudum.

Redeo ad propositam meam, qua quæ sint cautelæ,
quibus in eligendis conservandisque amicis utamur oportet,
vestra pace brevibus adhuc edisseram. Magni sane mo-
menti res est, an vel bona indolis ac fidem, an vero perditum &
depravatum iam a puero tibi acquisiveris amicum, ex altera parte
latus summum felicitatis gradum prospicias, altera vero ingens

nec desitura miseriarum series oculis observatur. Fortunatum
 sane iubeamus esse illum, cui amicitia qui sit dignus amicus contigit!
 id enim puto extra dubium esse; cum qui prima in iuventute nobis
 familiariter coniunctus fuerit, usque ad extremam aetatem eandem
 permansurum amicum, dum proba fuerit & sincera amicitia. Quod
 si vero suis tantummodo commodis servit, superbiave tumet animum
 humili est & abiecto quo utimur amico, dolenda omnino erit
 sortis eorum, qui aut imprudentes aut non satis cauti in diligen-
 do familiari fuerint; a virtutis enim tramite aberrabunt ac
 ambo in imam miseriae foraginem se se ipsi detruent. In-
 cubendum itaque imprimis in id erit. Comititones, ut hu-
 manae naturae secretiora scrutemur seduli & anfractus ho-
 minum, quod experientia magis & usu quam libris percipimus;
 & si demum aliquem amare occipitis, omnesque in eo virtutes
 vos deprehendisse arbitramini, quibus amicum prae ditum esse
 cupitis; necesse est ut viros sua perspicacitate vobis cog-
 nitos & probatos & qui natura humana penetrarint recessus
 in consilium adhibeatis, vel si hoc vobis felicitas denegata
 fuerit, sapientia & virtutis praecpta consulatis.
 Quam veritatis amicum ac virtutis studiosum Deique he.

minumq; cultorem esse animadvertitis, hunc vobis familiarem reddere
 studebitis. Satius est aliquantulum & per longum tempus illa feli-
 citate carere, quam ut periclitemur & miseriam & desperationem
 tandem amplectamur, quam loco sumi inter mortales boni, quod
 iure meritoque nobis reperire incandum fuisset, in perditionem nos
 datos & raptos a perfido amico videmus!

Difficile, intelligitis, dignum amicitia nostra deligere
 sodales & complures qui quocumque obvium amplectuntur os,
 culisque excipiunt, qui mutua benevolentia amorisq; signa
 prodigunt, qui epistolis, adulationibus vanisque pollicitatio-
 nibus redundant, amicitiam ore mentiantur, re negant aut
 ignorant, frigetque his in corpore pectus. Legibus fateor
 hodierna, quam vocant urbanitatis hac scenica quasi amici-
 tia prodolor apprimè apta & accomodata est, finito enim
 ludo persona detrahitur, nec me fugit vulgare aliquid hic
 didisse; ut enim vero quam dolendum est hac tam vulgare
 esse. Infaustus is saeculi nostri mos est quo non germana
 solum illa nobis olim sinceritas sed ipsa moralitatis
 fundamenta evertuntur. Nobis familiaritas aperte
 atque sincerus animorum consensus in eligendo amico pri-

nam sit; alterum, ^{at} qui societate cum amicis in eligendis verbis
 hesitat ac sedulus nimis est, nec dignum nec capacem ani-
 citia sincera esse putemus. Inter amicos nemo erubescat
 fidam sui sistere imaginem, non enim erubescit nisi
 qui vapidam gestat sub pectore vulpem. gaudeamus pro-
 tius si contubernio nostro exit aduiter amicus nec iactu-
 ram facimus, quam talis non fuerit qualem simulabat.

Quod si denique exsuperatis tot difficultatibus atque pe-
 riculis, si falsa sapius spe illusi, pacem tandem nobis inuenisse
 amicum contigerit, qui omnibus illis supra memoratis respon-
 deat requisitis, qui neque dignitate neque fortunis nostris,
 sed animi nostri dotibus adductus, stabili nos amplectatur
 amore, hunc si Diu nobis dederint & concesserint tandem,
 fortunatos nos putabimus utique, eumque amore mutuo
 amplectemur tenebimusque cavebimusque, sedulo ut ne vel
 levitate vel intempestiva diffidentia laedamus unquam;
 id enim probe tenendum est, magis nos sentire illatam,
 ab amico, quam ab alio quem minus diligimus, quamvis
 levissimam lesionem; & sic innumera dirimuntur in-
 prudentium amicorum sodalitia. Nunquam tamen obli-

viscamur nos homines, & vel ab amico non quicquam humani alienum
 esse! Haec si nobis praepcepta semper praesentia, auro cariora atque
 religiosa erunt, si omnia amico praestanda officia summa solertia
 praestiterimus, tunc vero & dulces amicitiae carpemus fruges
 & quidquid fortuna nobis contigerit, vel tolerando invicem,
 vel partiendo fortunas & latitias magno & hilari sustine-
 bimus animo, cum moderatione atque temperantia dulce
 illud quidem, at abusu saepe nocivum, ex hauriemus volup-
 tatum, quod nobis propinabunt fata propitiae, poculum,
 ut tenuis per gramina rivos fluet vobis vita & si vel
 fortuna vel iniqua mors capuerint aut sustulerint ami-
 cum, triste quidem hoc nobis eveniet, at magno illo fruemur so-
 latio, revisuros nos olim, probatum ex omni parte amicum,
 non unquam ab illo tum fore seiunctos! Valere iubebimus
 cum grata cum animi recordatione praeteritorum tempo-
 rum, & olim in aeternas eius ruemus & amicos amplexus.

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]

[Partial handwritten text visible on the right edge of the page, including the letters 'Te', 'Ph', and 'ex'.]